PAMFLET
1118

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1118

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1118

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1118

LIBELLVS
AD VNIVER-
SOS ET SINGV-
LOS SENATORES PRIMA-
rios regni Poloniæ de Statu Templo-
rum Prutenicorum exhibitus á
Proconſulibus & Con-
ſulibus civitatis
Gedanenſis.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

HAGÆ-COMITIS,
Ex officinâ Alberti Henrici.
clɔ. Iɔ. c.

1118

43

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1118

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1118

ILLVSTRISSIME
DOMINE, DOMINE
GRATIOSISSIME,

QVantis hoc tempore difficultatibus univerſus ferme orbis urgeatur, ſollicito ſæpe animo Illtatem veſtram attendere necquidquam dubitamus. Pleráque enim regna ampliora, aut bellis, aut bellorum metu quaſſari, editáque multorum millium ſtrage vaſtari jampridem dinoſcuntur. Cauſam autem harũ calamitatum ſi quis inquiſierit, potiſſimã eſſe mox deprehenderit intempeſtivũ in propaganda quam quiſq. probaverit Religione Zelum. Vſq.enim adeó maxima hominũ turba ab hoſte humani generis occæcata eſt, ut quó crebrius & fœdius manus ſuas diſſentientiũ ſanguine cruentaverint, eó beatiorem vitam nactos ſe eſſe autument. Hoc qui metuunt, arma ſumere ſatius eſſe ducunt, quã cervices percuſſoribus præbere, & in naturalia divináque & humana omnia jura, vim vi repellere permittentia, committere. Ad quas anguſtias cúm pleræque harum terrarum Pruſſiæ civitates, obtentu templorum vendicationis propé jam pervenerint, idémque exitus nos quoque maneat, rebus ex ſententia adverſus cæteros geſtis, non tam vitæ noſtræ & facultatibus metuentes, quám innocentiæ & ſynceritati conſcientiarum noſtrarum, cúm publico, propter eccleſiam Dei & generalis confœderationis obligationem, tum privato, propter poſteros noſtros nomine conſulentes, non dubitamus ab Illtate veſtra conſilium &

auxilium hac in re petere, quæ nobis ſilentibus & conn
ventibus exitium haud dubiê videtur eſſe allatura. Quip
pe non jam, ut olim falſó creditum eſt, templa tantum
modo domus ſcilicet lapideæ repetuntur, relictâ ſuâ cu
que religionis libertate, ſed potius interna templa imp
tuntur, & contra quam publica confœderatio ac ſing
laria indulta, manu juramentóque regiis confirmata p
tiuntur, contra quam publicæ tranquillitatis ſtudiu
aliarumque provinciarum triſtis facies hortatur, ipſiſ
mum Conſcientiarum inperium attentatur. Vt eni
taceantur Synodorum á Spiritualibus habitarum varia d
creta (quorum inter alia hic effectus deprehenſus eſt,
liberi civium quorundam in Poloniam linguæ diſcend
causâ miſſi, quá ritibus Pontificiorum aſſuefierent, a
iiſdem invitis & reclamantibus parentibus per vim re
nerentur) ut prætereantur Poloniæ & Lithuaniæ exemp
tragica (ubi etſi templa omnia ſuis ritibus deſtinata hab
rent, in ædibus tamen privatis religioni vacare reforma
eccleſiæ addictos prohibuerunt) illud ſaltem huc refer
liceat, quod ad exemplum Culmenſium, quibus in verl
Pontificiorum jurandi, niſi civitatem amittere malu
ſent, neceſſitas impoſita fuit, per harum terrarum pag
ſupra templorum & redituum occupationem, non ſolu
Miniſtri verbi non tolerantur, quantumvis ſint qui eos
ædibus privatim alere proprijs ſumptibus inſtituerin
immó his ipſis quod tales aluerint, lites intentantur, v
rum etiam inquiſitio in conſcientias jampridem cœpt
ut alii poſt curiam Epiſcopalem propter intentandam d

hære

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1118

hæreſi actionem evocati, alii aut Pontificios ritus agoſcere, & contra conſcientiam probare, aut benificio alimentorum in Xenodochiis, nempe uná cum templis occupatis, ſeſe abdicare coacti ſint: Haud diſſimili inſtituto ab eo, quod emortui religionis noſtræ aſſertores uſque adeó infeſtantúr, ut his ſolum quibus obteguntur, non tantum in templis & cœmiteriis, ſed in univerſo Pontificiorum territorio ſatis inhumaniter denegetur. Manu item geri res cœpta jam eſt, cum quidam verbi Miniſter in corpore periclitatus fuerit, miſſis qui comprehenſum abducerent, inſidiatoribus. Nonnullis porró templo ſuo exutis, ſacram ſibi ædem proprio ſumptu conſtituere interdicitur. Quidam etiam in privatis ædibus ad exercitia Religionis convenire obtentu mandatorum Regiorum recens prohibentur, piorúmque cætus odioſo nomine Conventicula appellantur. Vel nuper lata contra Mariæburgenſis & Krisburgenſis Decreta, quam luculento teſtimonio ſunt, templi poſſeſſionem averſam, minimam conſiliorum partem fuiſſe. Hoc enim jam deoccupato, graviſſimæ aliȩ actiones de appertinentiis, de Vadiis, de expenſis excogitantur, eoque prætextu non ſolum facultates civitatum impetuntur, ſed & omnia privilegia & regiſtra publica evolvendi facultas Spiritualibus ſumitur; Quæ res præſentiſſima eſt, ad civitates nullo negotio, de ſtatu prorſus deturbandas. Supra hæc omnia ne juventuti in litteris & pietate inſtituendæ locus relinquatur, vel ſaltem ut adhibita Adverſariorum diſciplina, parentum religio paulatim aboleatur, Pontificia veró á pueritia inſtilletur, Scholæ

 quam-

quantumvis illarum civitatum ſumptu exſtructæ, per decretum adimuntur. Tacemus conſcientias inſolitis juramentis adſtrictas, in diſcrimen adduci & pleraque alia exigi, quæ bono & Chriſtiano Magiſtratui admittere minimé fas eſt. Quæ omnia manifeſtó oſtendunt, Chriſti nomine inſignitorum cauſam, blaſphemorũ Iudæorum longé deteriorẽ eſſe. His enim & Synagogæ ſuæ permittuntur, & de cætero etiam facultates, quęque ad politicum ordinem ſpectant alia, perpetuó defenduntur: Illis omnia attrectantur, &, ut rem verbo complectamur, focis & aris interdicitur. Profectó nihil prorſus Confœderationi publicæ adverſum eſt, ſi hæc non ſunt quæ cõmemoravimus. Iam veró rebus ita comparatis, quid de Elbingenſium decreto dicendum ſuperſit, magis in aperto eſt, quám ut longa explanatione res indigeat. Quippe poſtquam facere Elbingenſes, quod per conſcientiam non licet, juſſi ſunt, bannitio decernitur, hanc ubi incurrerint, nec tamen decreto taliter comparato parére potuerint, ſed ſub templi reſtituendi prætextũ, ſéque poſteróſque ſuos ab agnita Dei veritate abſtrahi paſſi non fuerint, nihil aliud ſupereſſe videri poteſt, quám ut inſtigante clero res manu geratur, & in propria viſcera, hoc eſt unius Reipub. membra, gladius educatur. At iſtud eſt quod per Confœderationẽ ſano & ſalutari conſilio cautum eſt his ferme verbis: *Pollicemur invicem pro nobis & ſucceſſoribus noſtris in perpetuum, ſub vinculo juramenti, fide, honore & conſcientiis noſtris, quod qui diſſidentes in religione ſumus, pacem mutuam ſervabimus, nec propter diverſitatem religionis aut mutationem eccleſiarum, ſanguinem pro-*

funde-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1118

fundemus, nec pœnis mulctabimus, confiſcatione bonorum, infamia, carceribus, exilio, &c. Nulli etiam Magiſtratui ſeu offico ad hujuſcemodi progreſſum operam noſtram accommodabimus, ſed multò magis qui auſus fuerit ſanguinem profundere ex iſta cauſa omnes tenebimur huic nos opponere, etiamſi ſub prætextu Decreti aut judicialis proceſſus tale quid fuiſſet attentatum. Hæc, ut diximus, Confœderationis verba ſunt, quibus ad hæc noſtra tempora nihil concipi potuit accommodatius. Eó veró amplius de eodem religionis & templorum libero uſu per peculiaria indulta Regia jurejurando confirmata diſertiſſimé cautum nobis eſt in hæc verba: *Nos qui jam in hoc ipſo conventu Coronationis noſtræ atque prius in monaſterio Olivenſi juramentum de religione ſervanda præſtitimus, facilé conſenſimus, ut iterata promiſſione noſtra, ita petenti civitati noſtræ, denuó etiam promittamus & concedamus, ut Religionis Auguſtanæ Confeſſionis tam in civitate Gedanenſi, quam extra muros in ejus diſtrictu & juriſdictione, templis, monaſteriis, xenodochiis, ut ſub adventum noſtrum in regnum utebantur, & in ejus poſſeſſione fuerunt, pacificé & quieté libera profeſſio fiat, neve cuiquam religionis ergô moleſtia vel negocium exhibeatur, omneſque in libero uſu religionis Auguſtanæ Confeſſionis conſervabimus, manutenebimus & tuebimur, quemadmodum id tam in Monaſterio Olivenſi, quàm poſtea etiam hic Cracoviæ jurejurando Regio affirmavimus, nec volumus ut in templis ritus ceremoniarum ullo pacto immutentur.* In hunc nempe modum nobis, in hunc, Elbingenſibus aliiſque civitatibus cautum eſt. Quod ſi pacta conventa cum Turcis, cum Tartaris, aliiſque religioſé ſervantur, multó magis quæ nobis promiſſa, ſcripta, obſignata & jurata ſunt, firma

rataque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1118

ratáque eſſe oportebat. Alioqui quid juramentum a Regia M[te] in monaſterio Olivenſi & in conventu Coronationis Cracovienſis præſtitum Conſtitutionibúſque publicis typis expreſſis inſertum contineat, Ill[tati] veſtræ non poteſt eſſe non exploratiſsimum. Interim veró talia nunc fiunt, quæ juribus hujus Regni publicis privatíſque diſerté prohibentur: Quam recté igitur, Ill[tati] veſtræ judicio relinquimus; Nec circa hanc partem plura addimus de Decretis ab iis, quorum hæc controverſia eſt, latis. Nihil porró dicimus de rebus per ſententiam definitis, quæ in controverſiam nunquam deductæ fuerant antea, nimirum de actis civilibus & regeſtis, &c. Mariæburgenſium & Krieſburgenſium exhibendis; Nihil de aliis, ſed in eo acquieſcimus: Talia hic decreta lata eſſe, ad quorum executionem prohibendam omnes Regni Ordines & veſtra etiam Ill[tas] inter primos jurejurando ſeſe adſtrinxerunt. Non autem externis, ſed Elbingenſibus & Mariæburgenſibus nobis etiam & aliis Pruſsiæ civitatibus hæc præſtanda opera eſt, qui in libertate religionis conſervanda cum Ill[tate] veſtra & cæteris regni Proceribus ſumus confœderati. Quicquid igitur hic nobis fecerint, mutua confœderatorum fide adæquandum. Calcar autem non minimum addere debet ſumma rei præſentis æquitas optimáque juris ratio cui innititur. Qui enim libertatem religionis deberi nobis conceſſerit, idem uſum quoque templorum ad cultum Deo præſtandum exſtructorum iniqué detrectabit. Nec aliena quidem Spiritualium nempe templa quævis civitas ſibi vendicat, ſed ſua a majoribus ſuis in uſum proprium po-

ſterorúm-

ſterorúmque propriis ſumptibus ædificata. Quod Pontificii juris in iis prætendunt, omne in hoc continetur, quaſi á Pontificiis exſtructa templa á Pontificiis jure repetantur. Eâdem hac ratiocinatione gentiles prophani, ut litteris proditum eſt, quondam uſi, idolis ſuis conſecrata templa á Chriſtianis renovare annixi ſunt, & anniti etiã dum poſſent; ſed quod eadẽ pro gentilibus non valuit, haud poterit poſt intervallum pro Pontificiis convaleſcere. Porró cum conſtet Majorum noſtrorũ inſtitutũ fuiſſe unicé, ut vero Deo ſuus cultus in templis habeatur, ſi eundẽ nos quoque illorũ ſucceſſores ex præſcripto verbi divini colimus, quid attinet, quod in verba Pontificis jurare religionẽ eſſe ducimus? Deo acceptum ferimus, qui ad ſanitatem doctrinæ Evangelicæ redeundi gratiam pro ſua bonitate & miſericordia nobis fecerit. In hoc ſi nobis cum aliis non convenit, Pontificumque Decreta ſimplicitatem hanc & veritatem non admittunt, immó potius nos tanquam diſſentientes damnat atque execratur, nihil morari debemus in nos ſtatuentium auctoritatem, quorum imperium & juriſdictionem diu jam non agnovimus, quique Confœderationis publicæ virtute, ab eadem iterum exempti ſumus. Interim veró ſi quis inferat, quod nos a ſede Romana deſciverimus, id ad templa inde abſtrahenda cauſam ſatis juſtam non adferre: Huic nihil amplius reſpondemus, quam ſiquidem non alio quam Pontificio jure templa quævis Romanæ Eccleſiæ aſſeruntur, nos autem non magis Decretorum Pontificum quám Preſbyteri Ioannis edictis obligamur; ideo templa noſtra nõ magis ad ſedem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1118

Romanam quám ad imperium Preſbyteri pertinere. Non minor autem æquitas, nec levius jus etiam in eo verſatur, quod ſuæ religioni propagandæ Pontificii adeó intenti ac ſolliciti ſunt, ut ſuos a converſatione noſtratium abſtineant, cohabitationem prohibeant, libros inferri legive capitale habeant; Quod ſi in libertate Religionis & uſu illis exæquari debemus, quo ore noſtris cætibus ſeſe ingerere, immó templa noſtra occupare & deſuetos & ex animis hominum abolitos ritus Pontificios reducere atq. reſtaurare cum ſcandalo noſtrorum cætuum & periculo ſatagunt? Si illi á juſto Zelo proficiſci conſilia factaque ſua putaverint, quomodo nos qui item conſcientia movemur, coarguent temeritatis? Nempe videt Ill^tas^ veſtra, quantis æquitatis, quantiſque juris rationibus cauſa noſtra innitatur. Iam veró id quod fieri ab Ill^tate^ veſtra nobis cupimus, & condecens & pernecesſarum eſt. Quippe Illi & cæteris hujus inclyti Regni Senatoribus cura Reipub. tutela tranquillitatis conſervandæ credita eſt, & haud levis etiam ad Ill^tem^ veſtram ſenſus pervenire poteſt, ſi membrum aliquod Vniverſitatis affectum fuerit. Accedit quod unam Reipub. partem negligere, cúm cætera magna cura & ſollicitudine foveantur, inæqualitatem, inæqualitas injuſtitiam, injuſtitia præter gloriæ & honoris diminutionem plerumque etiam exitium afferat. Omnium autem maximé jurisjurandi Religio, qua ad ſecuritatem omnibus tuendam univerſi & ſinguli per Confœderationem generalem adſtringuntur, ad votum noſtrum obtinendum potens & efficax eſt. Neceſſitatis denique vinculum

eſt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1118

eſt, quo ad operam hanc nobis præſtandam omnes Reipub. Proceres arctè adeò adſtringi videmus, ut nihil dubitemus, quin Ill^tas^ veſtra & libenter & ſeriò cauſſæ hujus noſtræ defenſionem ſit ſuſceptura. Aliter enim Confœderatio, quæ Reipub. membra indiſtinctè complectitur, quæque hactenus unicum in hoc Regno pacis & tranquillitatis publicæ fuit firmamentum, per patientiam & conniventiam eorum, quorum cauſa illa prodita eſt, labefactaretur. Propter aras enim & focos, nihil eſt quod homines non ferant, & faciant, niſi Ill^tas^ veſtra aliíque ejus ſimiles obſtiterint, propè eſt, ut inclytum hoc Regnum ſolis Spiritualium conatibus periclitetur. Nam quod tetra harum rerũ facie deterritos, ceſſuros nos ſibi potius quàm extrema illa ſubituros Reverendiſſimi Domini Epiſcopi exiſtimẽt, miramur cur confidant omnia potius nos ultro amittere ac ſalutem animarum in diſcrimen adducere, quàm ſpe ſervandi ea retenta dubium vel exitium ſalutis conſcientiis exſpectare velle. Quare verbis quam poſſumus diligentiſſimis, ac ea, qua par eſt, reverentia rogamus, dignetur Ill^tas^ veſtra digna Chriſtiano nomine & Senatorio ordine ſedulitate in ſalutem Elbingenſium & Mariæburgenſium, noſtraque & aliarum quoque civitatum, tum verò in pacem & tranquillitatem publicam incumbere, proindeque auctoritate ſua apud ſacram Regiam M^tem^ Dominum noſtrum clementiſſimum interpoſita prudentiſſimè facere, ut nobis cum aliis omnibus libertate Religionis paceque & tranquillitate Confœderationis cum uſu templorum priſtino in poſterum etiam frui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1118

permittatur, Decretorum in contrarium eo, quo diximus, modo latorum executioni ſuperſedeatur, & ne qua deinceps nobis hoc nomine moleſtia denuo exhibeatur, maturé & candidé caveatur. Nos porró hac quiete & commoditate perfruentes Deo grata, Reipub. ſalutaria facere, de veſtra autem Ill^{tate} quám optimé mereri omnium maximo beneficio adfecti magis magiſq. incitemur. Quam eandem Ill^{tatem} veſtram Deo Opt. Max. diutiſſimé ſuperſtitem & optima valetudine perfruentem reverenter commendamus.

Ill^{tatis} veſtræ

Ad officia paratiſſimi

Proconſules & Conſules
Civitatis Gedanenſis.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1118

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1118